

PANEGYRIS

Super Laudibus

Serenissimæ Regiæ Majestatis

Quondam

Summæ Fidei Viri & Senatoris Magni,

Principis Heræditarii

Gubernatoris Eminentissimi,

Carolinæ in Scaniâ Academiae

Cancellarii Magnificentissimi

Illustrissimi atq; Excellentissimi

DOMINI

ERICI LINDSCHOELDI

Comitis de Staffund, Liberi Baronis de Lindevad,

Domini de Brevic & Clacceborg,

Quas

Secundo post solenne funus die

XXI Octobris, Anno dñi 1690.

in Aula generosi Ordinis Equestris celeberrima

marrens decantavit

GUNNO EURELIUS.

HOLMIÆ

Ex Officina B. NICOLAI WANKIWI Typogr. Regii.

[1690]



Vimus exequias, nunc ultima iusta parantur
Exuviis, Lindschœlde, tuis, cineriq; supremo:
Quem capit urna brevis spatiosâ laude decorû;
Major at humano transcendit spiritus axes
Ætherios, terris sublimior atque sepulcro
Tunc etiam, cum terrenæ sub pondere molis
Emicuit, Regumque graves discernere causas
Edoctus, mundo dederat documenta futuro.

Hujus dum Comitissæ Generosæ funera luctu
Prosequor, & mœstam dispargo clara per urbem
Facta, diu totum quamvis vulgata per orbem,
Summe Pater Patriæ, cœlesti â sede Secunde,
Carole, Hyperborœi Rex Augustissime mundi;
Progenies Magni Regis, Celsissime Princeps,
Spes Patriæ, Sceptri nitidi Successor & Hæres,
Excipite hos luctus mihi mea carmina vultu,
Mitius in totâ quo Sol non suspicit Arcto,
Atque Viri quondam Vestri nunc sumite laudes.

Ogygiæ Proceres & splendida culmina terræ:
Vosque, quibus virtus dat nobilitatis honores,
Consiliis armisque viri, duo robora Regni:
Sancta cohors Patrum, qui puri dogmata cœli
Traditis, humanumq; genus transfertis ad astra:
Nisibus & quicumque meis nunc candida, Cives,
Pectora

Pectora præbetis, vatiq; advertitis aures,
Este, precor, faciles, oculisque animoque favete.

Neve mei culpas in me malè conferat ullus
Audacis: fateor, nimium mea Musa petebat,
Quæ non apta fuit nec magnis edita rebus;
Cui vires natura graves inimica negavit:
Quam fors exigui præscripsit limitis orbe,
Quò sua simplicitas nunquam sibi causa pudoris
Effet: & ingenuè me sic peccasse putarem,
Ipse meo levibus fuerim si versibus ausus
Splendida ludere consilio Tritonidos altæ
Tectæ, pedes humiles raucâ modulatus avenâ.
Quin toties timidè dextrâ totiesque reliqui
Et calamum, Musamq; rudem, planctusq; sororum;
Materies superabat enim mea carmina grandis:
Scilicet Heröis divini dicere laudes
Non opus est nostrû juvenis, pinguisve Minervæ;
Digna sed ingenti stat laus hæc usque cothurno:
Qualiter Augustas cantabas amplius ad arces
Stâs, Maro, vel Danaûm, Sophocles, honor optime
Sic ego, dum vario jactatus turbine mentis, [vatû.
Subduxi victasque manus, cerebrumque labori,
Mollis ab ingenio, cui non sua sufficit ætas:

Ecce venit Pietas passu miserabilis ægro,
Dilaniata genas, diffusaque vestibus atris,
Et neglecta comas, squallent vultusq; sinusque,
Cœruleæque per ora fluunt velut agmine guttæ,
Atque, ut amore fuit casto comitata, mihiq;
Injiciens fessos curis planctuque lacertos,
Sic ait: O rerum, vates, diffise tuarum,

Surge

Surge age, tu flendo casus quoq; mulce recētes;
Quique tua in vivis excepit carmina miti
Pectore; qui, medius tot & inter munia regni
Ardua, ludenti gratam bene præbuit aurem;
Audiet ille suo plangentis & ultima busto
Verba quidem, meritas tu debitor asserere laudes.
Sume animos, tibi turba comes, sumiq; domorum
Complangunt apices; replet Palatia mœstis
Fletibus, & gemitus singultu miscet amaro
Unanimis populi mens; & Fora publica tangunt
Tristitiæ monumenta, piis lociata querelis.
Conditus heu tumulo Magnus Lindschœldus, &
Ille nigrante filet, per secula vivere dignus [antro
Tarda senis; Trojæ qui bis vidisse ruinam
Dicitur, Hunc animo qui sic imitatus & armis,
O cur non pariter longis imitatus es annis!
Nestora sed cum non numero superare dierum
Sors dederat, meritis senior sic Nestora vincis:
Quem nunc Sveionii deflent, flent undiq; gentes;
Fœmina mixta viris communi faucia luctu
Adstupet, & funus lacrymis irrorat acerbis.
Illum flent rapidis gelidi sub fluctibus amnes;
Nereus lugubri suspirans murmure laxis
Impluit, & madido turgentia proluit ora
Imbre, vagos repetens aspergine sæpè susurrus;
Oceanusque senex: En Triton flebile conchâ
Inspirat, lætisq; canit sub nube receptus
Æquoreis undis, Nymphisque colentibus illas:
Eridanus latos exercet fletibus amnes;
Fletibus auget aquas, quas nunc tardatq; tenetq;

Nunc iterum, fundens aduerso flumine, fontes
Salsis uberibusque genis repletque gravatque.
Illius amissi funus flent prata: virentes
Vestibus immutant pullis silvæque coruscæ:
Aerii resonant montes clangoribus altis;
Ruraque, cumq; suis domibus super arva coloni.
Riphææ gelidâ liquuntur caute pruinæ,
Dum calidos capiunt, cunctis lacrymâtibus, haustus.
Vidi ego Magnanimû Lindſchœldi Nomina Regē
Sæpius extincti gemitu decorasse supremo,
Haud aliter quam parte sui caruisse putares.
Sic placuit, Rex summe, tibi, miserescere tantis
Casibus, unius vultum plebs mœsta sequuntur:
Denique, ad occasum radiantis Solis ab ortu,
Omnibus Herôis tanti jactura dolori est.
Et, cui contigerat toties, tu, gratia Divi
Blanda viri, nunc participem non funeris ampli
Te facis, & solus non busto ponis honorem.
Dixerat: & flebant pariter Pietasque Dolorque,
Et flens ipse licet, victus tamen ulque retento
Castalios libare lacus, lymphasque Dearum:
Ergo non nostrum sunt hæc conamina flentis,
Sed Pietatis opus, quæ me sibi subdidit uni.

Ille igitur, Boreæ lepor & facundia nostri,
Fax hominum, prælustre jubar, vigor inclutus oris,
Cui steterant vires & spiritus esse disertis;
Ille jacet, parvâ cubat heu mox tantus in urnâ!
Urna, sed ignoscas, si fas est, corpora tanti
Invideo tibi penè viri clarissima, quæ non
Sic reddenda tibi, non his tumultanda diebus;

Sed serum post nos fuerant mansura per ævum!

Ast mea si tantum, si tantum vota bonorum
Publica cunctorum valuissent: magne Senator,
Aut sospes Regique fores, populoque, tuisque,
Tuque tuis titulis, nos te potiremur amato;
Aut Patriæ reddere tuæ nunc viribus herbæ:
Aut Patriæ reddere tuæ nunc carminis arte.

Orpheæ cantantē, (tā magna potentia Musæ,
Atque lyræ fuit) & plectentem carmina nervis
Conjugis extinctæ furvis petiisse sub antris,
Atque animam retulisse sibi, ni fortè fuisset
Luminibus malè visa viri, prior edidit ætas,
Huc ades, o Clarie, & medicamina tortia misce:
Huc, precor, huc & adeste citi, gens sacra, Poëtæ:
Utq; aliquid viridi, si quidquam gramina campo,
Utq; aliquid possunt, si quidquā carmina possunt,
Illius o! properata nimis nunc lævia fuso
Stamina verlato, sectasque retexite telas:

Vosque virum Regi Patriæque reducite clarum.

Æmīna cura fuit vatis; pro conjugē mœstus,
Atque suæ solius erat dulcedinis usu;
Vos vir commoveat, sed quā reparabilis arte?
Scandiadum decus, & communis causa doloris;
Copia lætitiæ prius, at nunc copia luctus.

Vos igitur vates! sed quid, quod fata negârunt,
Carminibus tentasse juvat? malè cesserat illi,
Thræicias dulci qui traxit pollice cautes.

Hei mihi! quod tanti nūc non sunt carmina, duris
Ut possint revocare sacras è manibus umbras!
Ilicet, ex sanguini non est revocamen ab orâ

Quantumvis magnis: sic est sua magna potestas!
Ergo tuas laudes, Comitum lux publica quondã,
Nunc quoniã cessas, unum quod, carmina, possūt,
Temporis æterni mandabunt aurea fastis.

Teq; tuosq; gradus nunquam mea Musa tacebit.

Urbs jacet, auricomis perquã nitidissima campis,
Fontibus irriguis torrentique amne salubris:

Titanum veterum domus & celeberrima sedes,
Parrhasiæ pigros Ursæ quæ sustinet axes.

Schenningam dixere patres; quos incluta tellus
Sustulit, & longo jam dudum fovit ab ævo.

Arva virent, campi flavis onerantur aristis;

Purpureis stant prata rosis: ubi Diva recentes
Spargit humi calathos ab odoro flore repletos.

Stat nemus Heliadum circum, stat robore quercus,
Proceræ platani, corylique, hirsutaque pinus

Et tiliæ molles: arbor gratissima dulci

Pulcra loco; cantat patulis ubi multa volucris
Nunc ramis, & raucifono nunc pastor ad auras

Gutturè: lanigeras pecudes & arundine mulcet;

Dissona dum rigidæ referunt modulamina rupes.

Nomina traxerunt qui grandia Solis ab ortu,
Hic habitant gens clara Getæ, quorū Arcadas ætas

[Quamvis hi Lunâ se jactent esse priores]

Exsuperat veteres, & famâ laudis & annis.

Armipotens quorū quondam quoq; bella ciebat

Ardua rumor, qui totum pavescerat orbem.

Et velut è nebulis rutilantia fulmina montes

Fortiter expugnant, præduraq; laxa revellunt:

Sic urbes vicere viri, quia vincere semet

Martigenæ potuere, ducum benè signa secuti.
Qui dextrâ victrice Italos, Celtas, & Iberos
Sub juga miserunt. Non istis profuit Alpes
Nubiferas: illis sua non freta turgida ventis
Æoliis: non his celsam posuisse Pyrenen
Contrà. Transierant fortes super æquor in Afros,
Asiacasque domos, Euxinaque litora telis.
Diruta Roma jacet perq; hos; nec, ut âte, superbo,
Sic memor antiquæ cladis, caput extulit antro.
Fervida quin manus hæc totum percensuit orbè
Armis atque animo, qui sic fuit altior orbe.
Mentis inops miles nihil hinc nisi damna reportat;
Non clypeus, nō hasta juvant, densæve phalāges,
Non jaculum, aut validâ contorta phalarica dex-
Consilii si non prudens det iussa Senatus, [trâ,
Miles & occultum si non sic occupet hostem.

Editus hic, hac est noster de stirpe creatus.
Principibus fuit ut locus haud inglorius olim,
Tantos melliflua qui tunc dulcedine cepit;
Sic etiam reliqui multum se seminis ejus
Monstrat habere viro, quem nobilis extulit ardor
Virtutis, mentisque probæ memorabile signum:
Utque sui generis præclaros proderet ortus;
Exemplo docuit se tantæ semine gentis
Esse satum, Priscum nomen renovatur in illo.
Hunc pater, antiquâ cum consul primus in urbe
Civibus ostendit, quantarum nomina laudum
Dant inculpatae quondam moderamina vitæ,
Progenuit magnum Divino munere natum,
Cui Cytheræa faces, generosaque dona ferebat,

Lindschœ Idum: majusq; hoc nobis præstitit uno;
Sumtibus auratis quam qui vel conderet arces:
Quam qui congereret pretiosi flava metalli
Corpora, quæ pereūt: Patriæ sed commoda celso
Scrutari ingenio, regnisque inducere formas;
Quique potest rebus multus prodesse futuris,
Proximus ille Deo mundi supereminet artes:
Natus erat, tantus, qui tantis artibus, infans
Exseruit mentem vastè, dum vixit: at eheu!
Janua quem duri lethi nunc claudit opaca!

Roscida tandem puniceos Aurora capillos
Explicuit, relevans radiis Hyperiona cinctum;
Illa dies nimbos Aquilone removerat omnes,
Solque calens hilari porrexit lumina fronte,
Temporibus solito tunc approperare laborans;
Pondera cum mater pleno cœlestia ventre
Enixa est puerum, jam Dîs qui posset amari,
Ampla nec elatis deerant tunc omina signis.

Namque Dii Boreæ cœlesti nectare pasti,
Ambrosiæque sacro gustantes fercla palato,
Duxerunt lætos, mundo gratante, triumphos:
Et Nymphæ duxere hilares sub monte choræas.
Scilicet *Arctoi* transcenderat æthera regni
Gloria: Germanos nam tum victricibus armis
Turmæ Atlantiadum, majorum more suorum,
Pacarunt: Rhenum, spumosaque fluminis Istri
Flumina, Gustavo rerum tum Præsule Magno,
Perdomuere: & terga suis, sic victus uterque,
Supposuit pedibus. metuūt Rhodanusq; Padusq;;
Dum Viadrus, Nicrusque prius sua jura dedere.

Cum

Cū Pater omnipotēs, cœlestis Rector Olympi,
Conditor omnigeni Solis; qui cornua Lunæ
Flectit, & ingentem terras glomeravit in orbem:
Fulgmina qui vibrat, nebulasq; intendit & imbres:
Quem colimus triplici personâ quilibet unum;
Cœli sublimis folio sic orsus eburno
[Unde mare & terras atque omnia facta recenset
Mortalis generis, stellasque & cuncta gubernat]
Fata loqui tanto fortunæ in vortice nati;
Fataque tres nebant hæc, ad sua verba, sorores.

Gustavum quoniam Cœli dignatus honore,
[Et duo sunt anni post tanti funera Regis]
Victores tamen in bellis exerceo Svejos
Nunc Ducibus magnis Oxenstiernâ, Baneroque:
Mox Torstensonius, Vrågelq;, & promptus in armis
Cum Kœnigsmarco Vittenberg, fulmina Martis,
Subjicient tessis vincendo bella lacertos.
Postque Duces alii, quos est mora tarda referre,
Consiliis magni, magnis Herôes & armis
Succedent rebus, fortesque ad fortia mittam.
Sed quoniam sua fata secabit pollice tandem
Parca gravi, subitò mortalia fila resolvens:
Qui jacet his cunis, infans ea munera regni
Ordine præstabit, nobis placitura, sequenti.
Carole, cura Deûm, cujus cum corpora rebus
Suppositurus eris, portabit pondera dextrè
Fortis & alter Atlas: (redivivus tempore vestro
Priscus erit sic, Cimeriis qui præfuit olim
Mente potens] illi cum plurima munia quondam
Mandabis, tot adhuc humeris sufferre valebit;
Tuque

Tuque eris in iussis, ille indefessus agendo.
Nec vetat exiguo si esset de patre: iupremus
Mœnibus ille suis fuerat tamen: usque referre
De nobis genus, & de summo stemma Parente
Huic licet; hæc mens nîl terrenæ fœcis habebit:
Ipse notas edet se non de plebe creatum. [rû est;

Quin proavos, atavumq; decus numerare deco-
Ista tamen propriæ laudis non esse videntur.

Ipse sed illustri vitâ memorabile cunctis
Præbere exemplum; stat longæ gloria famæ.

Arbiter en ego sum cunctorum, digna merenti
Dona fero. Cœlum nutu circumvolat axes

Grande meo; qui regna rego, mentesq; potentû
Inclino, qui tollo alios, aliosque retrudens,

Pro lubitu patrio dispenso munia justis.

Nata sed hæc soboles oneri, donetur honore:

Sic illi eveniat, sic stat sententia, Nostro.

Hinc mox ad Phœbû, quæ restant, cætera fatur;
Phœbe, tibi curæ pueri traduntur, & anni;
Sume leves cunas, lûme incunabula rerum;
Quòque magis foveas tenerum, lactentis & ora,
Ubere nutricis dulci est lactandus alumnus.

Est Dea nota tibi, nec & illi notior alter,
Quam tu, purpureâ, sed canis ampla capillis,
Veste sedens, solio sceptrisque assyeta verendis;
Provida; quæ causas partes delibrat in omnes,
Non tantum spectans præsentia lumine claro;
Verum etiam diversa locis & tempore lustrans;
Inde vices rerum dispensat, & ordine miro
Ingeniumque, ferosque regit Prudentia mores.

Hæc

Hæc est, quæ regnis stipendia pulcra ministrat;
Hæc populos benè culta colit, formatq; trophæis:
Hæc duce transiliunt cœlique cacumina mentes.
Illa tibi dabitur comes & custodia nato.
Tu cane fatidicos fastos, numerumque dierum,
Quos vilurus erit puer, annorumque labores.
Finierat Majestas: & mox arte sopiti
Infantis mulcens animos ad fortia natos,
Et prælustre caput, rumpensque silentia tali
Delius æqua sono, exscribit Dea callida sortes,
Juncta suo lateri pueri fidissima custos;
Occipit: in nobis (Musis famulantibus antè)
Præscia si quidquam nobis oracula svadent
Certi; cresce Puer: felicibus utere signis,
Auspiciisque bonis. Vultûs vigor evehet altè
Tramite te recto, quò tangas fidus honoris.
At simul incaluitque Deo Deus, atq; reclusum
Os tetigit lauro; sic fata recentis alumni
Continuans vitæ testes referentia veros,
Concinit arcanas sortes, & numine dignas.
Prima tuæ Tiliæ Tiliæ bona Copia plenos
Melle favos dabit, & candentia flumina lactis.
Mox Heliconis amor longis famosus ab annis,
Sala nitens cano, liquidoque operosus in amne,
Virgineos tibi præbebit laticesque, cibosque
E lacubus sacris Aganippidos Hippocrenes.
Post tu lustra duo loca, quæ regionibus absunt,
Hesperioque polo longè, contermina soli,
Æstivisque plagis lustrabis; & arva Sicambrûm,
Nerëidumque domos, ambitosque orbe Britanios

Æquoreo; moresque suos linguasque notabis
Insvetas: mentisque tuæ fastigia Gallus
Miratus, pandet vastas Diadematis arces;
Regis & auratis ornata palatia limbis,
Quidquid dividuæ tenet & Germania formæ;
Illius & vestigabis populosque, domosque,
Cæsareumque solum. Latii sed ad oppida magnis
Laudibus evectus, venies ad culta Quirini
Templa, Deûmq; locum; quem publicus abstulit
Ecce tibi medio tritâ Tiberinus arenâ [error.
Extollens vetus amne caput; crinesque madêtes
Vultibus abstergens; & cinctus tempora cannis;
Dum falice & lentis stat ripas obsitus ulvis:
Quisquis es, o! faveas, dicet cervice recurvâ:
Quanta videre licet juvenis portenta decori!
Talis erat, memini, trabeati cura senatus [gnæ
Tempore non Numæ, [sunt hæc primordia ma-
Urbis] sed facies quondam o! Auguste tuorum!
Evenient; aliquid quoque flexi novimus amnes,
Si non Roma tuus, si nec tuus esse tenetur
Hic, quicumque tuis succedit mœnibus hospes;
Haud minor Oenotrio per dissita regna Senator
Regis erit Magni, cujus genus ante tremebam;
Namque memor vidi & sensi fera castra Getarum;
Illius & svavis dictator sæpius aures,
Dum graditur justo grandis pede Svada, tenebit.
Talia verba senis veteres repetentis honores
Exaudire licet; post verè dicta probabis.
Solutus Aufoniæ fluvius non diliget, atque
Te laudabit ovans: Niveæ sed & æmula Phœbes

Nāias, in dulci quæ se layat ebria Nicro,
 Heidelbergæ suis modo non amplexibus ambit,
 Verum etiam semper te juncto corde tenere,
 Consilii quoque participem te reddere summi
 Optabit: virtus tanto conducet amori.
 At vos, Cecropiæ quondam telluris, Athenæ,
 Splendor, præteritæ miscebitis ora querelis;
 Tēpora quod docti tunc non sint blanda Cratippi:
 Nam multa in tanto vestræ pars laudis adestet,
 Si studii sectatus opes vos viderit ille. [Eōus
 Cumque ita, quid jactent hinc Hesperus hinc &
 Rimatus, Patrioque redux gaudebis in arvo,
 Officii fungere satis: Te Scania, te mox
 Sala Professore jactabunt numinis instar:
 Parva sed à forti facile superantur: & illa
 Altius evecti relinquunt: Arcana regendi
 Namque tibi pandet, compluraque munera tradet
 Magnus Hyperboræ Pater & Tutela coronæ.
 Constituere igitur mox Consiliarius Aulæ.
 Eligit eximium sua dum Respublica Regem,
 Ibis Sarmaticas secreti Lator ad arces;
 Et nunc Cimbriacas audax Orator ad urbes.
 Innuba te legis Moderatoremque Bahusa,
 Inviæque soli, quod possidet, uda vocabit.
 Consiliator moxque status diplomata scribes
 Fulgida, quæ Regis mentem nomenq; resignât:
 Judiciique supremi post Aulæque superbæ
 Cancellarius, & fulcrum; Regnique columna,
 Scandens aurati verbosus culmina Tecti.
 Quid multis? vinctes titulos, qui cætera vincis:

Tot Pylil lentâ meruit non dextra fenestâ,
Quique tuis meritis numerum describere tentat;
Læves ante fero numerabit in æquore conchas,
Silvarumque comas, densasque ad litus arenas,
Lustra decem jam sic addet tua cura duobus,
Queis vigilente nec, qui primus Lucifer exit;
Serius occidui delapsus & axis equorum
Solis in Oceanum, tenebrosaque pascua noctis,
Corpora non thalamo pigro posuisse remissa;
Sed semper statione sua mansisse videbunt,
Et semper lætum esse sui Ducis incrementis.
Tertio abhinc, longè superans mortalia longè,
Sustollare novis, sanctis & honoribus. Hos non
Livore dax, rodent⁷ dentensve volubilis ævi.
Scilicet in terris nihil hic restabit eundum
Virtuti Lindschoelde tuæ; Post cura futuri
Traditur; ut Regis sobolem natumq; gubernas,
Dulce jubar Boreæ, quem nos sua turba colemus.
Atque erit in fatis, dum tu celebrabere mundo,
Celsior Augusti sectator ut ille Parentis
Ducat disjecto præclaros hoste triumphos.
Presserat ora Deus; cecinit quæ, tempore cuncta
Contigerant: rata fata boni stant semper Olympi;
Signaque fatidicæ sunt o! manifesta loquelæ.
Heu citò mors mites nobis hos subripit artus.

Ergo jaces facunde Senex; Prudentia secli;
Ecclesiæ columen; cum Dîs venerator & aræ.
Alter Apollo sacras voluisti condere leges:
Hæc tua sunt animæ, sanctique piacula cordis:
Mœcenas studii; duce quo, Tritonia nunquam

Pulcrius

Pulcrius ad geminos caput extulit alta Triones,
Utilior fueras Patriæ, numeroque clientum;
Quam tibi: Te populus igitur; Te Curia luget
Confiliis orbata tuis; gemit Aula dolore hæc,
Saxaque dura Domûs, tua quæ facundia linguæ
Moverat o! toties: ævi miracula nostri!

Felix vîla diu, Comitîs Matrona sepulti,
Solve comas tanto nunc o! viduata marito!
Tu tamen extremâ moriturum nocte fovebas,
(Solamen miseræ) cum morte natantia crudâ
Lumina vidisti lacrymis defleta suorum.

Navita non aliter verbis manibusque supinis,
Dum fera, navigium duris mergentibus austris,
Æquora confurgunt, montesq; ad litora volvunt,
Syrtibus illisâ, quam Dîs votisque reliquit,
Pinu, diffisam jam non orare salutem,
Sed clamare viros o! terque quaterque beatos,
Funera quos maneant, solet. Aut ut læucia silvas
Cruribus aufertur lethali cerva sagittâ,
Quæque fugit, secum deportat flebile damnum;
Sanguineo lateri calamus nam mortis inhæret.
Iphias utque sui cineri se miscuit ulto,
Injiciens animosa rogo sua membra, mariti:
Talis erat mœstæ facies. Postquam ultima fixit
Oscula, singultu medias turbante querelas,
His tandem summâ morientem vocibus horâ
Alloquitur tristi lugens adstrata cubili:

Siccine me fugis, o! animæ pars altera nostræ!
Qui mea, qui toties [blandum meminisse priorû]
Pectora pectoribus junxisti juncta decoris;

Quo ruis? indigno cur ponis corpora lecto?
Corpora, quæ crebris nunquam defessa laborum
Ante fuere, sibi nunquam commissa, catervis.
Quo ruis? auratâ te Rex expectat in arce:
En tua vota rogat Getulo murice tectus,
Confiliisque potens, Regalis dextra Senatus.
Surge, precor, thalamos nec desere durus amatos!
Si mea nulla valent; deberent nostra valere
Vota; precor, tristes tua respice pignora natos;
Et miserere tuis, matris si est gratia vilis;
Si non natorum miseret, miserere maritæ.
Nequicquam sed & hæc & multo plura profata,
Candida cum gemitu percussit pectora palmis:

Sustulit ille oculos jam lentâ morte gravatos;
Oraque, cœlesti prius o! arguta lepore,
Hæc, responsurus, vix vixque in verba resolvit:
Splendide dicenti sed adhuc decor oris inhæres.

Desine multa queri, carissima tempore conjux;
Me tenet alter amor, supra mortalia tendo:
Adstat Rex tutela hominum; quo sospite, tandem
Succedent sine me vestris solatia curis.

Functo terrenis quid enim mihi nobile restat?
Luxuriare gradu cepit clementia Regis
In me, Luxuriat nunc & clementia cœli:
Terra tenet de me nihil hic, nisi corporis ossa,
Cœtera transcendent tenues super astra favillas.

Atria stant superûm cœli regione supremâ;
Non illis Livor, non illis infidet Error
Tectis, aut Planctus mœsti, querulive Dolores:
Pax habitat Divina loco, Charitesque beatæ,
Cordaque

Cordaque dulcisonis mulcet Polyhymnia nervis.
Auras gaudenti transvectus, & æthera cursu,
Præsidis assiduè Christi residebo Senator,
Grandia magnanimâ tractans insignia dextrâ.
Extremumque vale, quod jam vix auribus hausit
Mœsta suis mater, mœsti quoque vulnere nati,
Dixerat! At lacrymis vos parcite, cuncta supremâ
Tendimus huc horâ; quidquid mortale creatur
Viribus haud poterit faucique resistere mortis.
Regibus, in terris fuerant qui vivere digni
Æternum mundo, frustra sua Purpura prodest.
Fortibus in rigido non est spes altera bello.
Verbosi non ore valent mollire loquaci
Pectora; nam furdas habet atrox portitor aures.
Omnia decidimus nigrâ transvecta carinâ;
Nec locus in terris immunis fulminis atræ
Mortis concessus. sed enim jacet inclutus Hector;
Hectoris & victor, Grajorum murus Achilles:
Nil quoque de svavi superest, nisi nomen, Ulysse.
Ille igitur felix lethi contemtor, & auri,
Christi stat socios inter pars prima sodalis.

Fecimus inferias spargentes cinnama busto:
Pegafides Nymphæ flent, sternunturq; sepulcro.
Hæc igitur tumuli non dedignemur honore
Carmina, quæ sculpent æternis secula saxis.

Hic situs exiguo Magnus Lindschoeldus acervo
Cujus in hoc nostro cœlestis gloria regno (est
Emicuit; quem Regalis bene purpura vastis
Subdidit, & summis constans Sapia rebus.
Hic Comes ille fuit, cui se delubra fatentur,

Legibus acceptis: illo ductore, torores
 Carolides, quarumque alias fert Scandia lætis
 Auspiciis, aliaque trilinguis rustica Livi
 Litora, splendenti nunc fulgent vestis amictu,
 Pallados & Themidos semper fuit ardor in illo.
 Est hic: cui titulis cum vix suffecerit *Arctos*;
 Qui, quoniam fati fuit, experiensque futuri,
 Formavit Regis Natum ad Regalia natum.
 Inter Cœlicolas residet nunc amplius ovanisque:
 Fama suam laudem terras diffudit in omnes.
 Hoc fatis in tumulto: fuit o! fuit ardua tanti
 Gloria, sublato quæ vertice sydera lambit;
 Gloria, quæ scabro nunquam delebitur ævo!



Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :



ul. Krzemowa 1

62-002 Suchy Las

www.digital-center.pl

biuro@digital-center.pl

tel./fax (0-61) 665 82 72

tel./fax (0-61) 665 82 82

Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.

Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.

All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance and broadcasting of the whole or fragments prohibited.